

qui istic adversus Ecclesiam diaconum fecerat, illic Episcopum fecit, scilicet Novatianum Romæ. Noverat autem Cyprianus ex epistola Cornelii Pontificis ad Eusebium, Novatianum non a Novato, sed a quibusdam Episcopis temulentis fuisse ordinatum.

101. *Inst.* 3. Ignatius, Augustinus alique Patres affirmant, sacerdotium præstantiorem esse gradum, ad quem possit mortalium aliquis ascendere. Atque hoc de simplici etiam presbyteratu verum est, qui pariter honor omnium maximus dicitur. Sic auctor Commentariorum in epistolas Pauli, sive Ambrosiaster in cap. 3. epist. ad Tim. 1. scribit, *Episcopi et Presbyteri esse unam ordinationem*. Ergo tunc temporis nihil erat sacerdotio et presbyteratu sublimius.

R. D. *Cons.* Nihil erat sublimius sacerdotio adæquate sumpto, prout scilicet duos ordines diversos complectitur C. inadæquate sumpto pro solo presbyteratu *Subdist.* nihil est sublimius dignitate C. auctoritate N. Itaque reapse nulla est præstantior potestas ea, qua conficitur ipsum Christi corpus, quæque presbyteratu confertur. Neque vero episcopatus seorsim acceptus, presbyteratum dignitate superat, sed auctoritate; quod non impedit, quominus Episcopi sint presbyteris superiores. Quare dum Ambrosiaster (quanquam is ignoti nominis sit, et incertæ ætatis auctor) presbyteri et Episcopi unam esse ordinationem affirmat, non unam ex omni parte intelligit, sed quantum ad sacerdotium seu presbyteratum. Sic quippe protinus subjungit (opp. S. Ambros. t. 2. part. 2. p. 295. A.): *Uterque enim sacerdos est: sed Episcopus primus est, ut omnis Episcopus presbyter sit, non tamen omnis presbyter Episcopus... Unde et quemadmodum Episcopum ordinet, ostendit: neque enim fas erat, aut licebat, ut inferior ordinaret majorem; nemo enim tribuit, quod non accepit.*

102. *Obj. II. contra concl. 2^{am}.* S. Paulus ita loquitur de Episcopis ac presbyteris, ut aliquando presbyteros vocet Episcopos, aliquando Episcopos appellet presbyteros, et quidquid de Episcopis dixerit, id pariter de presbyteris affirmaverit; ergo Episcopi jure divino non sunt superiores presbyteris. *Prob. Ant.* ex variis Scripturæ locis. Ad Philipp. 1. sic scribit: *Paulus et Timotheus servi Jesu Christi omnibus sanctis, qui sunt Philippis, cum Episcopis et diaconibus*: ubi per Episcopos intelligi presbyteros manifestum est; si enim Episcopi nomine significaretur primus aliquis sacerdos jurisdictione in cæteros præditus, non dixisset Paulus *cum Episcopis*, sed *cum Episcopo*; fieri enim nequit, ut ejusdem urbis plures sint Episcopi in sensu a nobis usurpato; ergo. Ad Tim. 1. c. 4. v. 14. ait: *Noli negligere gratiam, quæ data est tibi per impositionem manuum presbyterii*. Idem ergo est presbyter, quod Episcopus, cum fatentibus Catholicis sermo ibi sit de impositione manuum facta ab Episcopis. Ad Tit. 1. v. 5. inquit: *Reliqui te Cretæ, ut... constituas per civitates presbyteros, sicut et ego disposui tibi*. Subinde virtutes presbyteri describens v. 7. addit: *oportet enim Episcopum sine crimine esse*; ergo nihil discernit presbyterum inter et Episcopum, prout ex particula *enim* intelligimus. Denique Act. 20. v. 17. legitur: *A Mileto Paulus mittens Ephesum, vocavit majores natu (πρεσβυτέρους) Ecclesiæ, quibus deinde ait v. 28. Attendite vobis et universo gregi, in quo*

vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei; ergo vel plures erant ejusdem civitatis Episcopi, vel iidem erant presbyteri, qui Episcopi.

R. 1^o. D. *Ant.* S. Paulus presbyteros vocat Episcopos et vicissim, quod Episcopi et presbyteri nomina utrique ordini Apostolorum ævo fuerint communia C. quasi ordines ipsos tunc distinctos non fuisse senserit N. *Ant. et Conseq.* Ita hoc argumentum solvit S. CHRYSOSTOMUS hom. 1. in epist. 1. Philipp. (opp. t. 11. p. 195. A.) expendens illa verba: *cum Episcopis et diaconibus. Quid est hoc? inquit, an unius civitatis multi erant Episcopi? nequaquam. Sed presbyteros ita appellavit. Tunc enim nomina adhuc erant communia, atque etiam ipse Episcopus vocabatur diaconus. Idecirco ad Timotheum scribens, diaconiam, id est, ministerium tuum imple, cum tamen ille Episcopus esset, quod constat ex illis verbis ad eundem scriptis... quæ data est tibi cum impositione manuum presbyterii. Presbyteri enim Episcopum non ordinassent. Et rursus ad Titum scribens: Hujus rei gratia reliqui te Cretæ, ut constituas per civitates presbyteros... Quæ quidem de Episcopis dicit. Namque hæc cum dixisset, statim addit: Oportet enim Episcopum sine crimine esse... Antiquitus enim ipsi etiam presbyteri vocabantur episcopi et diaconi Christi, et Episcopi presbyteri. Quocirca hodie multi Episcopi scribunt ita: *compresbytero et comdiacono*. Procedente vero tempore proprium cuique tributum est nomen, ut hic quidem Episcopus, ille vero presbyter appellaretur. Hanc CHRYSOSTOMI explicationem tanquam omnium planissimam et commodissimam plerique interpretum Græcorum et Latinorum tenent. Nam in S. Scriptura non tantum nomen Episcopi, sed etiam Apostoli et diaconi aliis quoque tribuebatur, qui ordine et auctoritate aut minores erant, aut multo præstantiores. Præter duodecim, quos Christus in Evangelio elegit *Apostolos*, etiam Paulum, Barnabam, Andronicum, Juniam aliosque hoc nomine cohonestatos legimus: imo Christus ipse ad Hebr. 3. *Apostolus* confessionis nostræ appellatur. Paulus se et Apollo 1. ad Cor. 3. v. 5. et 2. ad Cor. 3. v. 6. vocat *διεξόνους ministros*, et ad Rom. 15. v. 8. ait, Christum *διεξόνου ministram fuisse circumcisionis*. Petrus item epist. 1. cap. 5. v. 1. aiebat *presbyteros, qui in vobis sunt, obsecro compresbyter*, aut juxta vulgatam, *seniores consenior*. Audebuntne Novatores Christo Apostolos et Episcopos, Apostolorum principi presbyteros, imo Episcopos diaconis facere auctoritate pares? Recepta igitur hæc Chrysostomi sententia, tota illa probationum farrago evanescit.*

R. 2^o. cum S. EPIPHANIO, aliquibus in locis extitisse Episcopos cum diaconis absque presbyteris, in aliis vero presbyteros cum diaconis sine Episcopis; indeque factum, ut ubi Apostolus Episcoporum mentionem fecit, de presbyteris omnino siluerit. En verba EPIPHANII hom. 75. edit. Pelavianæ (opp. t. 1. p. 908. B.) adversus Aetium ita dicentis: *Sed nimirum veritatis iste seriem ignarus, nec in reconditiorum historia versatus, non intelligit, Apostolum, cum recens adhuc esset christianæ dogmatis propagatio, pro re nata scripsisse. Nam ubi jam Episcopi constituti fuerant, ad Episcopos ac diaconos scribebat; neque enim subinde omnia ab Apostolis ordinari poterant: et quidem presbyteris imprimis et diaconis opus erat, a quibus videlicet ambobus ecclesiastica negotia administrari possunt. Quare ubi nondum episcopatu dignus aliquis occurrerat, nullus ei loco præpositus est Episcopus. At ubi et necessitas postulabat, nec eorum, qui episcopatu digni erant, copia deerat, ibi Epi-*

scopi constituti : sed cum haud magna multitudo foret, reperiri nulli potuerunt, qui Episcopi crearentur : unde solo Episcopo contenti fuerunt. Sine diacono autem Episcopus esse non potest.

Erant igitur ex mente EPIPHANII primis Ecclesiae seculis Episcopi a presbyteris non solum gradu et auctoritate, sed etiam nomine distincti. Nec tamen ex productis supra Scripturae testimoniis ad Philipp. 1. et Act. 20. sequitur, plures fuisse ejusdem civitatis Episcopos. Nam cum Philippi metropolis esset, plures sub ea erant Episcopi illius provinciae, qui ex urbibus aliis negotiorum causa poterant convenire. Eodem sensu explicat illud Act. 20. v. 17. S. IRENÆUS L. 3. c. 14. inquit : *A Mileto convocatis Episcopis et presbyteris, qui erant ab Epheso, et a reliquis proximis civitatibus.* Cæterum hæc Epiphaniæ assertio cum sententia Chrysostomi facile conciliari potest; cum non repugnet, eadem vocabula in ampliori significatione pluribus, in pressiore vero et propria uni tantum convenire.

103. *Inst. 1. S. CHRYSOSTOMUS* hóm. 11. in 1. ad Timoth. (opp. t. 11. p. 604. C. D.) *Postquam, inquit, de Episcopis dixit (Apostolus), eosque formavit... omisso presbyterorum ordine, ad diaconos transiit. Cur id, queso? quia scilicet inter Episcopum et presbyterum interest ferme nihil: quippe et presbyteris Ecclesiae cura commissa est, et quæ de Episcopis dicit, etiam presbyteris congruunt.* Idem scribit Theophylactus Chrysostomi vestigiis, imo verbis inherens. Ergo Chrysostomus non agnovit Episcopos presbyteris auctoritate antecellere.

R. *N. Conseq.* Nam si S. Doctor non agnovit Episcopos presbyteris esse superiores, cur miratur, Apostolum, prætermisso presbyterorum ordine, nominatis Episcopis statim ad diaconos transiisse? Certe nisi presbyterorum et Episcoporum ordines jam fuisse distinctos credidisset, nullus fuisset admirationi locus. Deinde licet pene unus esset gradus; attamen CHRYSOSTOMUS affirmat interfuisse aliquid, quod indicant illa verba : *ὅτι οὐ πολὺ τὸ μέτρον*, quæ melius vertas : *quia non multum interest, quam, interest ferme nihil.* Quid porro intersit, ibidem declarat, cum e vestigio addit : *sola quippe ordinatione superiores illi sunt, atque hoc tantum plus quam presbyteri habere videntur.* Quod autem etiam presbyteris tribuat animarum curam, hoc ultra fatemur, non tamen independentem ab Episcoporum jurisdictione, et auctoritate. Eadem valet responsio ad THEOPHYLACTUM, qui in epistolam ad Philip. scribit, presbyteros quoque Episcopos, *quod etiam ipsi populum inspiciant, ut purgent, et illuminent*, hoc est, exorcizent catechumenos, et baptizent; *sed alia esse Episcopi officia; non enim presbyteri ordinant.*

104. *Inst. 2. S. HIERONYMUS* hanc Episcoporum eminentiam atque a presbyteris distinctionem ævo Apostolorum viguisse minime credidit. *Prob.* ex ejusdem comment. in cap. 1. epist. ad Titum. Principio enim ait : *Idem est ergo presbyter, qui et Episcopus.*

Subjicit statim : *et antequam diaboli instinctu studia in religione ferenet, et diceretur in populis: ego sum Pauli, ego Apollo, ego autem Cephæ, communi presbyterorum consilio Ecclesiae gubernabantur.* Ergo HIERONYMUS nullum agnoscebat, qui presbyteris auctoritate anteciret.

Pergit deinde : *Postquam vero unusquisque eos, quos baptizaverat, suos*

putabat esse, non Christi, in toto orbe decretum est, ut unus de presbyteris electus superponeretur cæteris, ad quem omnis Ecclesiae cura pertineret, et schismatum semina tollerentur. Putavit igitur S. HIERONYMUS hanc Episcoporum excellentiam et potestatem jure tantum humano ad tollenda schismatum semina fuisse inventam.

Demum concludit : *Sicut ergo presbyteri sciunt, se ex Ecclesiae consuetudine ei, qui sibi præpositus fuerit, esse subjectos: ita Episcopi noverint se magis consuetudine, quam dispositionis dominicæ veritate presbyteris esse majores, et in commune debere Ecclesiam regere.* Ergo, etc. His aliisque S. Doctoris testimoniis triumphat Blondellus, qui integrum librum edidit, ut Hieronymum in oppositam sententiam detorqueret; sed inanis, sicut in cæteris, ejus est labor.

R. *Nego assertum*, cujus falsitas perspicua fit momenti supra ex S. HIERONYMO productis.

Ad prob. R. verba S. Doctoris singillatim explicando. 1º. *Idem est presbyter, qui Episcopus* nominatenus C. reipsa N. Eodem enim loco ait : *Presbyterum et Episcopum unum esse, et aliud ætatis, aliud esse nomen officii... Eisdem Episcopos illo tempore, quos et presbyteros appellabant; propterea indifferenter de Episcopis quasi de presbyteris est locutus (Paulus).* Quod probat ex variis Scripturae locis supra a nobis adductis, qui de solis nominibus agunt, præsertim ex initio epistolæ ad Philipp. *cum episcopis et diaconis*, atque : *Certe in una civitate plures, ut nuncupantur, Episcopi esse non poterant.* Ergo Hieronymus singulares primi ordinis antistites, eosque alios a presbyteris credidit.

2º. *Communi presbyterorum consilio Ecclesiae gubernabantur*, et pari etiam auctoritate N. communi consilio, sed auctoritate dispari C. Ex communi cura et administratione Ecclesiae nequaquam sequitur, pares fuisse Episcopis presbyteros. S. CYPRIANUS epist. 5. (al. 4.) ad presbyteros et diaconos, *solus*, inquit, *rescribere nihil potui; quando a primordio episcopatus statuerim, nihil sine consilio vestro et sine consensu plebis mea privatim sententia gerere.* Nemo tamen negaverit, tunc multum fuisse discriminis inter Episcopum et presbyteros, inter hos et diaconos, inter plebem et clerum. Id quod satis agnovit Hieronymus : scribit enim ipse L. de script. Eccles. in Jacobo, eundem Jacobum primum Hierosolymorum Episcopum continuo post Christi ascensionem fuisse constitutum : sciebat Petrum Antiochiæ sedisse, et Evodium sibi successorem ordinasse, Marcum Alexandriae sedisse antistitem ante tempora illius schismatis, ad quod provocat.

3º. At occasione schismatis Corinthiaci, teste Hieronymo, *toto orbe decretum est, ut unus ex Presbyteris electus superponeretur cæteris.* Dist. id est, ut unus, qui jam ordine et caractere alios antecellebat, curam et administrationem ad se solum revocaret C. ut superponeretur præcise N. Ante istud schisma erat in qualibet insigniore Ecclesia Episcopus, qui caractere ac suæ ordinationis dignitate presbyteris excelebat; curam tamen gregis cum presbyteris ultro communicavit : quam tamen postea oborto schismate, ob presbyterorum arrogantiam, Episcopi ad se revocarunt, ita decernentibus Apostolis. Atque hoc est, quod ait Hieronymus, *in toto orbe decretum esse* : neque enim de Concilio universali, aut specialibus synodis hæc super re coactis constat.

4º. Eodem sensu accipiendus est Hieronymus, quando dixit, Episcopos

presbyteris majores esse *consuetudine magis, quam dispositionis dominicæ veritate*. Neque enim vult sic esse majores quoad gradum, dignitatem et characterem sacramenti, sed exterius duntaxat, quod presbyteri non amplius æque vocarentur a præsulibus in partem sollicitudinis ut ante, illam quippe in gubernanda Ecclesia curarum consiliorumque communio- nem, quam S. Hieronymus ait initio servatam fuisse, explicat præstantissimus Doctor verbis illa in objectione allata proxime consequentibus: *imitantes Moysen, qui cum haberet in potestate solus præesse populo Israel, septuaginta elegit, cum quibus populum judicaret*. At Moyses utique jure divino illis erat superior.

105. *Inst. 3. Idem epist. 85. (al. 146.) ad Evagrium seu Evangelum scribit, diaconum se presbyteris antepone- re idem esse, ac se antepone- re Episcopis; ergo, Pergit in ead. epist. Alexandria a Marco Evangelista usque ad Heraclam et Dionysium Episcopos, presbyteri semper unum ex se electum, in excelsiori loco collocatum, Episcopum nominabant: quomodo si exercitus Imperatorem faciat; aut diaconi eligant de se, quem industrium noverint, et Archidiaconum vocent*. Atqui hic S. Doctor affirmat a solis presbyteris factum esse Episcopum. Ergo juxta Hieronymum jure divino nihil differt a presbyteris Episcopus.

R. D. *Ant.* Idem esse ac se antepone- re iis, qui caractere sint Episcopi N. iis se antepone- re, qui cura, administratione et nomine solum sint Episcopi C. Quod autem dicit, presbyteros unum ex se electum in excelsiori gradu posuisse atque Episcopum nominasse, intellige, a solis presbyteris Episcopum esse electum, non item consecratum. Nam S. Hieronymus continuo subdit: *Quid enim facit, excepta ordinatione, Episcopus, quod presbyter non faciat?* Quod accipias de officiis ecclesiasticis baptizandi et Eucharistiam conficiendi: nam quod potestatem confirmandi non exceperit, ideo factum, quia respexit ad consuetudinem Ecclesiæ Alexandrinæ, in qua presbyteri ex speciali commissione chrismabant.

Cæterum usque ad tempora ab Hieronymo notata peculiare hoc habebat Ecclesia Alexandrina, quod soli presbyteri jure suffragii gauderent, quod ex suo tantum collegio Episcopum eligerent, teste Eutychio Alexandrino, atque illico a morte Episcopi, *ne aliis hunc, aliis illum postulantis in populo jurgia et contentiones existerent*, ut habet Epiphanius hæc. 49. Porro electus iste quamprimum a presbyteris in sede sublimiori collocabatur, et ante consecrationem ab Episcopis aliis acceptam vocabatur Episcopus, atque post dies aliquot jurisdictione et auctoritate plene fruebatur. Addit Eutychius presbyteros manus electo etiam imposuisse, in speciem scilicet anticipatæ cujusdam consecrationis. Quæ quidem postea fuere mutata: nam S. Athanasius diaconus erat, cum eligebatur in Episcopum; ubi procul dubio clerus reliquus et plebs ipsa ad eligendum Episcopum admittebatur, more aliarum Ecclesiarum, in quibus vicini quoque Episcopi suffragii jure potiebantur.

Neque obstat illud, quod Hieronymus dixerat, Episcopum Alexandrinum a presbyteris ita factum esse, ut fiebat imperator ab exercitu, et archidiaconus a diaconis: hoc enim S. Doctor intellexit solum quoad rationem electionis, nequaquam autem secundum rationem omnimodam, ut sic electi Episcopi consecrationem excluderet.

Atque hæc paulo prolixius versavi, ut retunderetur procacitas hæreticorum, qui pugnaciter contendunt Hieronymum hac in parte totum esse suum, atque ut castigaretur Michaelis Medinæ audacia, qui asserere non dubitavit L. 1. de sacerorum hominum origine et continentia cap. 5. Doctorem maximum Aerii hæresi aperte favisse: cujus scholastici judicium *falsissimum et homine catholico indignum* jure appellat L. 2. de Hierarchia Eccles. 8. DIONYSIUS PETAVIUS.

ARTICULUS VIII.

DE SACRARUM ORDINATIONUM MATERIA ET FORMA.

106. *Nota I.* Ut iis, quæ hic disputari solent, lux plenior accedat, prænotandi sunt sacri ritus, quibus ordinationes, præsertim majores, in quibus est plus controversiæ, peraguntur. Igitur

1º. Ordinatio episcopalis in Ecclesia latina, juxta ordinem Pontificalis Romani, his ritibus absolvitur: 1. Episcopus consecrans, adjuvantibus duobus Episcopis assistentibus, librum Evangeliorum apertum, nihil pronuncians imponit super consecrandi cervicem et scapulas. 2. Tangunt ejusdem caput imponendo ambas manus consecrator et assistentes Episcopi cum verbis: *Accipe Spiritum sanctum*. 3. Orationem pro eo fundit consecrator: *Propitiare Domine, etc.* 4. Caput ejusdem inungit chrismate dicens: *Un- gatur, et consecretur caput tuum, etc.* tum ambas manus inungens dicit: *Un- gantur manus istæ, etc.* 5. Tradit consecrato baculum pastorem: deinde annulum, tum librum Evangeliorum clausum, correspondentibus ubique verbis: *Accipe baculum pastoralis officii, etc. Accipe annulum, etc. Accipe Evangelium, et vade; prædica, etc.* 6. Finita missa, consecrati capiti mitram imponit, et chirothecas manibus, dicendo: *Imponimus, Domine, capiti, etc. circumda Domine manus, etc.*

In Ecclesia græca 1. dum consecrandus fronte sacræ aræ incumbit, consecrator hæc verba profert, prius scripta consecrando tradita: ... *Divina gratia, quæ semper infirma curat, et ea, quæ desunt, adimplet, promovet N. Deo amabilissimum presbyterum in Episcopum civitatis N. Oremus igitur, etc.* 2. His peractis imposita manu una cum pallio super consecrandi caput, adjuvantibus Episcopis capiti ejus Evangeliorum librum apertum imponit; tum ter caput cruce signans, et manum ei impositam tenens precat: *Domine Deus, etc.* Ita referunt Goar in Rituali Græcor., Arcud. L. 6. Concord. de Sac. Ord. cap. 2.

2º. Ordinatio presbyteri apud Latinos hoc ritu celebratur: 1. Ante Evan- gelium missæ Episcopus et sacerdotes adstantes, nihil dicendo, ordinandi capiti (si plures sint, singulorum capitibus) imponunt manus. 2. Eo facto manus dexteris super eum extensas tenent, orante solo Episcopo: *Oremus, fratres charissimi, etc.* 3. Ordinando imponit stolam et casulam; tum ma- nus ungit oleo catechumenorum. 4. Tradit ordinando calicem cum vino et aqua, et patenam cum hostia superpositam dicens: *Accipe potestatem offe- rendi sacrificium Deo tam pro vivis, quam pro defunctis, in nomine Patris, etc.* 5. Peragitur sacrificium missæ, in quo ordinatus cum Episcopo verba consecrationis pronunciat. 6. Post communionem Episcopus solus illi manus